



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTI VLADIMIRI MAGNI IN URBE  
PARISIENSIS**

**PRO UCRAINIS RITUS BYZANTINI\*** EXARCHIA APOSTOLICA PRO FIDELIBUS UCRAINIS  
RITUS BYZANTINI IN GALLIA COMMORANTIBUS AD GRADUM EPARCHIAE EVEHITUR  
NOMINE SANCTI VLADIMIRI MAGNI IN URBE PARISIENSIS PRO UCRAINIS RITUS BYZANTINI  
Qui in beati Petri Sede sumus constituti, attenta sententia Synodi Episcoporum Ecclesiae Graeco-  
Catholicae Ucrainae Exarchiam pro fidelibus Ucrainis ritus Byzantini in Gallia commorantibus ad  
gradum Eparchiae evehendi, perpensa officiali petitione Excellentissimi Domini Archiepiscopi  
Maioris necnon faventi sententia Conferentiarum Episcoporum ac Legatorum Pontificiorum ad rem  
vocatorum, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Apostolica, qua fungimur,  
potestate memoratam Exarchiam ad gradum Eparchiae evehimus nomine Sancti Vladimiri Magni  
in urbe Parisiensi pro Ucrainis ritus Byzantini. Cathedralis ecclesia Exarchiae efficitur Eparchialis  
et residentia Episcopi necnon conclavia Curiae in actuali sede permanent. Mandamus insuper ut  
omnes sacerdotes in territorio Exarchiae ministerium exercentes ipso facto novae Eparchiae  
incardinentur itemque seminarii alumni ex eiusdem paroeciis novae circumscriptioni ascribantur.  
Nova quidem Eparchia statim Apostolicae Sedi subicitur, sed inclusa in contextu Ecclesiae  
Galliae, et novus Episcopus membrum Conferentiae Episcoporum efficitur.

Quae iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et  
Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus mittantur.

Hanc denique Apostolicam Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil  
obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo  
decimo tertio, Pontificatus Nostri octavo.*

Tharsicius card. Bertone

Secretarius Status Marcellus Rossetti, Protonot. Apost.

Franciscus Di Felice, Protonot. Apost.

\*A.A.S., vol. CV (2013), n. 2, pp. 128-129 © Copyright 2012 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana